

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
 ruris amatores, hac in re scilicet una
 multum dissimiles, ad cetera paene gemelli
 fraternis animis, quicquid negat alter, et alter,
 adnuimus pariter, vetuli notique columbi. 5
 Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
 rivos et musco circumlita saxa nemusque.
 Quid quaeris? Vivo et regno, simul ista reliqui
 quae vos ad caelum fertis rumore secundo,
 utque sacerdotis fugitivus liba recuso, 10
 pane egeo iam mellitis potiore placentis.
 Vivere naturae si convenienter oportet,
 ponendaeque domo quaerenda est area primum,
 novistine locum potiolem rure beato?
 Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura 15
 leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
 cum semel accepit Solem furibundus acutum?
 Est ubi divellat somnos minus invida cura?
 Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
 Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum 20
 quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
 Nempe inter varias nutritur silva columnas,
 laudaturque domus longos quae prospicit agros.
 Naturam expelles furca, tamen usque recurret
 et mala perrumpet furtim fastidia victrix. 25
 Non qui Sidonio contendere callidus ostro
 nescit Aquinatem potantia vellera fucum
 certius accipiet damnum propiusve medullis
 quam qui non poterit vero distinguere falsum.
 Quem res plus nimio delectavere secundae, 30
 mutatae quatient. Siquid mirabere, pones
 invitus. Fuge magna; licet sub paupere tecto
 reges et regum vita praecurrere amicos.
 Cervus equum pugna melior communibus herbis
 pellebat, donec minor in certamine longo 35
 imploravit opes hominis frenumque recepit;
 sed postquam victor violens discessit ab hoste,
 non equitem dorso, non frenum depulit ore.
 Sic, qui pauperiem veritus potiore metallis
 libertate caret, dominum vehet improbus atque 40
 serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
 Cui non conveniet sua res, ut calceus olim
 si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.
 Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi[...]
 (Orazio)

1. Traduzione del passo

2. Analisi sintattica e stilistica (max. 15 righe)

3. Contestualizzazione e interpretazione (max 15 righe)

Si raccomanda di rispettare le consegne